



CAROLVS Sabaudia Dux, ex antiqua ac illustri Saxonia familia oriundus, fratri suo Philiberto cognomine pulchro, qui nulla relicta stirpe obierat, successit. Porro anno à Christo nato 1535. Carolus hic Allobrogum Ducatu, ac maxima Pedemontij parte deturbatus est: nam vrbes atque arces quamplurimas partim expugnat, partim in deditionem accepit Franciscus Valesius: tum quòd Gallicanis expeditionibus infestissima semper hæc gens esset, tum quòd ius suum persequeretur in hæc ipsa Sabaudia territoria. Vide Chron. Sabaudia, & Supplem. Chron.

BEATRIX Portugallia Regis filia, sororq; vxoris ipsius Imperatoris Caroli quinti, liberali ac eleganti forma Princeps, Carolo supradicto Duci nupsit, ex eoque Philibertum, qui Princeps Sabaudie vocatur, suscepit. Ceterum hæc cum deplorata sibi in Sabaudia & Pedemontio res essent, Niciam concessit, ac post paucos annos decessit. Vide Chron.